

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0868

0866

0872

0862

0877

0857

0917

0817

0967

0767

0367

Ende

Anfang

et Jerusalem, Sibylla regina et haeres regni Jerosolymitani
obiit nullo derelicto ex se de Guidone haerede. Audiens
autem Elizabeth soror Sibyllae mortem ejus, reginam et ha-
redem regni Jerosolymitani se esse divulgabat et virum suum
Eufredum esse regem loco sui, sicut fuerat Guido loco soro-
ris, ubique pronuntiabant.

Eufredus ergo apud Acon occidentis principes invocabat
et aliquos ad se inclinabat dicens, uxori suae regnum
deberi, tum ex praecēpto patris Almarici regis, tum etiam ex
testamento fratris Balduini leprosi regis. E contrario rex
Guido se juste et solenniter unctionem Jerosolymis et coronatum
asserebat, et se numquam a regni solio debere deponi, dum
nihil depositione dignum in regno commiserit. De hoc ergo
negotio concertabant illi duo, Guido ac Eufredus, et quilibet
aliquorum principum favorem sibi acquirere studebat, et erat
inter principes major quaestio et cura, quis esset rex Jerusa-
lem, quam quomodo recuperanda Jerusalem esset.

Porro dominus Heinricus comes Campaniae et multi alii
sentiebant, regnum ad Elizabetham transiisse per mortem
sororis, et ideo favore praedicti comitis factum fuit, ut Eu-
fredus portus vectigalia et delinquentium commissa reciperet
et alia, quae regi Jerusalem debebantur, ita, ut solo nomine
Guido remaneret rex, omni expoliatus jurisdictione, quare
rex merito querebatur, quod contra omnem justitiam honore
spoliaretur regni. Et ob hanc (causam) convocatis his, qui
eum a principio secuti fuerant, exercitum congregavit et for-
tunae casibus se committere statuit, et una cum eis configere
cum Saracenis deliberavit. Hoc videntes principes majores
timebant, si cum tam paucis contra Saracenos procederet et
occumberet, quod tota multitudo congregata in Dei servitio
dissolveretur. Unde factum est, ut ad omnia rex Guido ut
primus restitueretur. Sed marchio Montisferrati, Conradus, cui
videbatur, quod regnum ad dictam dominam Elizabetham jure
haereditario devolutum (esset), regni cupiditate ductus rem
nefariam operatus est, matre sua Calomaria, uxore supra dicti
Almarici, qui adhuc vivebat, consentiente: praedictam enim
Elizabetham a viro suo Eufredo rapuit et de facto uxorem
duxit. Quod enorme et detestabile factum omnibus peregrinis

